

deunte crescunt; ita Joannes adventu suo veterem hominem paulatim minui debere significabat; Christus autem novum hominem crescere jam oportere demonstrat. Hinc est illa vox ejusdem beatissimi Joannis: Illum oportet crescere, me autem minui. Hinc etiam, quod majus ac mirabilius est, scimus Joannem, quem minui oportebat, capite fuisse diminutum: Christum autem, quem oportebat crescere, in crucem sublatum, exaltatum auctumque fuisse. » Hæc ille.

VII. Cur loquela Zachariæ adempta fuerat? Resp. ob diffidentiam et incredulitatem, quam monstraverat, cum Gabriel nuntiasset ei parituram ejus uxorem, Luc. I. Videtur autem non mutus solum, sed et surdus fuisse effectus; tum quia in hodierno evangelio dicitur: *Inmuebant patri ejus: quasi voces eorum percipere non potuerit: tum quia verbum Græcum, quo utitur Lucas surdum et mutum indicat, qui multi plerumque etiam surdi sunt. Dedit autem has pœnas congruenter peccato; quia enim non audierat vocem angeli, surdus effectus est quia ei contradixerat: Unde hoc sciam? Ego enim sum senex et uxor processit in diebus suis, mutus factus est. Luit autem vir aliquin optimus pœnam mox diffidentiae, tametsi leviusculæ, primo, quia communiter solet Deus servorum suorum errata mox in hoc sæculo emendare, nec differre ad severum suum tribunal: Etenim multo tempore non sinere peccatoribus ex sententia agere, sed statim ultiones adhiberi, magni beneficii est judicium. Non enim sicut in aliis nationibus, Dominus patienter expectat, ut eas cum judicii dies advenerit, in plenitudine peccatorum puniat. Scribitur lib. II. Macch. VI. Secundo, quia a religiosis, a sacerdotibus, qualis erat Zacharias, major fides et virtus requiritur, quam a sæcularibus, minus ergo ferri aut dissimulari illorum errores debent. Atque hæc itidem causæ sunt, cur Deus fidelium peccata minus tolerat, quam infidelium. Prima, quia castigatio fidelium non est ad perditionem, sed ad emendationem et salutem: adeoque paterna potius correptio, quam judicialis est punitio. Secunda, quia fidelium peccata plerumque sunt graviora, partim ob majorem divinæ voluntatis futuræque mercedis et vindictæ cognitionem, partim ob majorem in Deum ingratitude. Tertia, quia fideles ob suos defectus castigantur in hoc sæculo, ut qui in altero beatitudinem sperant: infideles, quia in altero sæculo ob peccata sua plectendi sunt, ideo Deus sinit eos diutius frui hujus vitæ commodis et vivere impunes. Unde quidam Sapiens dixit, mirum esse, quod justis non omnia in spinas et fel, dum hic vivunt: injustis vero in rosas et delicias vertantur, quod in illos non insurgant omnes dæmo-*

mones, omnes impii ipsaque elementa ad eos ex-cruciandos: his vero non omnia blandiantur: ideo magnum fore præmium justorum, supplicium vero reproborum. Quare cum infideles et hæretici plerumque instrumenta sint, quibus castigat Deus fideles, sinit illos crescere et roborari in hunc finem.

VIII. Cur loquela Zachariæ non in die nati Joannis, sed circumcisi restituta est? Respondetur primo, ut fama Joannis illustrior fieret, siquidem ad ejus circumcisionem multi conveniunt: nativitati domestici tantum interfuerant. Debit autem fama sanctitatis Joannis vulgari, ut illustrius fieret ejus testimonium de Christo.

Secundo, quia nativitate Joannis nondum omnia verba angeli impleta fuerunt. Prædixerat enim inter alia etiam nomen ejus, vocandum scilicet Joannem: multos item in nativitate ejus gavisuros, quæ in circumcisione primum impleta sunt. Tunc ergo loquela Patri reddita est, cum omnia impleta erant, et miraculum a patre prædicari poterat.

Tertio, ut nova nominis impositio, quæ fiebat in circumcisione, novo miraculo confirmaretur.

IX. Miraculum restitutæ linguæ cui potissimum causæ adscribendum? Respondet primo, S. Maximus, hom. II. de nativitate Joannis, S. Ambrosius, hom. eadem nativitate, nomini et meritis Joannis adscribendum esse; quia videlicet Deus voluit Joannem hoc miraculo facere magnum et mirabilem.

Secundo, respondet S. Beda, gaudio parentibus tribuendum: *Neque enim, inquit, patrem a laudibus silere decebat, qui Verbi præcone sibi nato gaudebat.* Adde Damasc. lib. II. orthod. fid. cap. XXI. in comment.

Tertio, videtur etiam ex parte zelo Zachariæ, quo mandatum angeli de nomine Joannis sibi traditum exequi desiderabat, adscribi posse. Similia duo exempla (sed quæ vehementi affectui adeoque naturæ adscribenda videntur) refert Valerius Maximus. Unum, lib. I. cap. VIII. De Ægleo Samio athleta muto, qui cum ei victoriæ, quam adeptus erat, titulus et præmium eriperetur, indignatione accensus vocalis evasit: alterum, lib. V. cap. IV. de Cræsi filio, qui captus a Cyro Sardinibus, cum in cædem patris ejus unus e numero Persarum ignarus viri, concitato impetu ferretur, exclamavit, ne Cræsum regem occideret; atque ita vocalis factus est, qui ad id tempus mutus vixerat. Horum exemplo nos cum advertimus proximum contra Dei voluntatem aliquid moliri fræna linguæ abrumpere deberemus et reclamare.

X. Quot modis dicitur Deus visitare homines? Respondet S. Thomas super Isa. cap. VIII. tribus. Primo, ad consolationem, uti Exodi IV. audierunt: *Quod visitasset Dominus filios Israel, et quod respexisset afflictionem eorum: et hoc loco: Visitavit et fecit redemptionem plebis suæ.*

Secundo, ad correctionem, uti Psal. LXXXVIII. *Visitabo in virga iniquitates eorum: et Exodi XXXII. Ego autem in die ultionis visitabo et hoc peccatum eorum, adorati scilicet vituli.*

Tertio, ad condemnationem, uti Jer. VIII. *In tempore visitationis suæ corruent.*

Porro qui ad primam visitationem non emendatur, incidet in secundam: et qui ad secundam necdum respiscit, tertiam incurrat.

XI. Cur mirati sunt populi et cur timuerunt?

Resp. miratos esse primo, quod cum uxore maritus in nomine conspirarent, tametsi alter ab altero non didicerit: egregio conjugibus documento, ut sicut una caro sunt, ita animo quoque et voluntate uniti sunt.

Secundo, quod novum et insuetum nomen Dei nutu infanti daretur. Non ergo reluctati sunt, ut sententiam suam tuerentur; sed mirati sunt Dei bonitatem et gratiam, quam præsentem adesse colligebant.

Timuerunt autem non infantem, sed Deum cujus potentiam in præsentia experiebantur, eamque sancto quodam timore venerabantur.

Horum exemplo nos postquam mirabilia Dei cognovimus, timeamus eum, qui mirabilis est in sanctis suis, terribilis in improbis.

AUCTARIUM.

CONCIO I.

QUANTA CONTENTIONE DEI GRATIA QUÆRENDA ET CONSERVANDA SIT.

I. Nihil Dei gratia speciosius, adeoque etiam honestius. — II. Nihil utilius gratia. — III. Nihil gratia deliciosius. — IV. Nihil gratia magis necessarium.

THEMA.

Nequaquam, sed vocabitur Joannes. Luc. I.

Quid est, auditores, quod de nomine Joannis inter cognatos ejus tanta sit contentio? Appellare illi infantem voluit nomine patris sui Zachariam. Sed reclamavit mater: *Nequaquam, sed vocabitur Joannes.* Mirantur cognati nomen peregrinum, nec contenti imperio matris, ad mutum patrem abeunt, eumque nutibus et clamoribus, ut arbitror, adjunctis adoriuntur, ut mentem et voluntatem ejus exquirant. Zacharias cum conjugate conspirat, et manu simul ac ore pronuntiat, filium non aliter nisi Joannem appellandum. Tantine est vocabulum hoc et nomen Joannis, ut pro eo fiat tanta concertatio? Ita profecto: siquidem vox *Joannes gratiam Dei*, significat, quæ aliud non est, nisi amicitia et dilectio Dei, de qua dicitur, Cantic. VIII. *Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam.* Hinc jam non miror, quod tam multi passi inveniantur insigniti nomine Joannis: quis enim Dei gratiam et amicitiam non ambiat? Quamquam nomen solum homini nihil prodest, nisi adsit ipsa res, et inhærens Dei gratia: quæ

quantopere quærenda et conservanda sit, nunc videamus.

Omne bonum hominum triplex est, honestum, utile, jucundum. Gratia Dei omnia illa in summo gradu includit.

I. Extra Deum nihil est gratia speciosius. Est enim splendor et lux quædam cœlestis, superans omnem pulchritudinem creatam, etiam angelorum; faciens Deo, quantum ferre creatura potest, quam simillimum et maxime conjunctum. Hinc a Christo appellatur *claritas: Ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis; ut sint unum, sicut et nos unum sumus.* Joan. XVII. Est enim gratia qualitas supernaturalis, evehens hominem supra omnia naturæ dona, reddens eum Deo et angelis amabilem, quemadmodum solis radius incidens in columbæ pennas, reddit eas fulgidas instar auri, juxta Ps. LXVII. *Pennæ columbæ deargentatæ, et posteriora dorsi ejus in pallore auri.* Quamquam color in columba est apparens tantum, gratiæ vero splendor in justo verus et inhærens est. Unde quod Ecclesiasticus, c. VI ait: *Decor vitæ est in illa, Græca transformat: Ornatus auri est in illa.* Hic ornatus adeo exornat hominem, ut licet corporis luto fœdatus sit, cœle tamen dignus fiat: quam ob causam S. Bernardus, hom. I. super *Missus est*, de illa ait: *Hæc honor luti nostri.* Quid fœdus latrone in cruce pendente? Eum tamen gratia Dei adeo nitidum et speciosum reddidit, ut cœlo dignus fieret, quo ne angeli quidem digni forent, spectati in sola natura sua. Ad hæc facit nos suo modo consortes divinæ naturæ: *Ut filii Dei nominemur et simus.* Hinc Ecclesiastici XVII.

comparatur pupillæ oculi : *Eleemosyna gratiam hominis quasi pupillam conservabit*; quia sicut in pupilla apparet imago virunculi (sic enim Hebr. *iscou*, hoc est *virunculus* appellatur); ita in gratia apparet imago Dei, cujus naturam modo aliquo participat (teste S. Petro, II. Petr. I. *Ut efficiamini divinæ consortes naturæ*) tum per donum gratiæ sanctificantis, tum per ipsum Spiritum sanctum inhabitantem, ut *explicat* Cornel. a Lapid. Et quemadmodum pupilla est decor faciei (tolle enim pupillam et excæcabis oculum, adeoque totam hominis faciem deformabis); ita coram Deo et angelis gratia est decor hominis : quo sublato, non est nisi tenebræ, sicut mundus sublato sole. Jam ergo sicut omni cura custodimus pupillam oculi, ad conservandum visum, ita nihil magis curæ et cordi esse debet, quam conservatio gratiæ. Quid? *Vestem novam pretiosam* non nisi mundo loco recondimus et sedulo custodimus; ne qua macula aut sordibus eam fœdemus : quanto igitur majori cura servanda erit vestis animæ tam pretiosa? Ad hæc centurio ille Act. XXII. testatur S. Paulus, se multa pecunia emisse jus et appellationem civis Romani, quo civium Rom. privilegiis gauderet : quid erit igitur gratia, quæ dat ejus cælestium civium, et consortium divinæ naturæ.

II. Nihil ea utilius. Ipsa enim velut regina quæ intrat, adducit secum gynæceum omnium virtutum supernaturalium et donorum Spiritus sancti. Assuerus, ubi intellexit Mardocheum reginæ suæ patruum et cognatum esse, certatim omni honorum genere cumulare eum cepit. Nam admisit eum in familiaritatem et intimam amicitiam suam : dedit ei anulum Amanis, una cum dignitate et officio, necnon ejus domum divitem et magnificam : accessit Mardocheo splendidus ornatus, quo egrediebatur de conspectu regis, ut habetur Esth. VIII. Denique, potestas scribendi litteras ad placitum, et suo annulo signandi, ad opprimendos hostes suos. Non absimili modo Deus, quos gratia sua ornavit. Primo, recepit in amicos, uti dixit Christus, Joan. XV. ad discipulos suos : *Jam non dicam vos servos, etc. vos autem dixi amicos, quia omnia, quæ audivi a Patre meo nota feci vobis*. Quantum istud est, amicum esse Dei! David capere non poterat, quod ipse, puer pastoritius, regis generi esset futurus; dicebat enim : *Num parum videtur vobis generum esse regis?* I. Reg. XVIII. Et quomodo capiat aliquis, hominem luteum, miserum, fragilem, rudem et rusticum, fieri Dei amicum? Quid enim amicitia, nisi bonorum communionem, arcanorum communicationem, animorum denique conjunctionem importat? Quis vero est homo, ut apponat ei Deus

cor suum? Secundo, ornat eorum manus annulo suo, dum eorum opera dignificat, et quasi cælestia reddit, ut cælestem mercedem, augmentum gratiæ et gloriæ promereri, necnon satisfacere pro præteritis culpis possint. Quemadmodum enim nobile germen decerptum ab arbore et insertum ignobili et silvestri stipiti, facit eum producere supra vires naturæ suæ nobiles fructus, v. g. poma aurea trunco pomus silvestris : ita gratia inserta et infusa animæ, evehit opera ejus ad ordinem supernaturalem, ut progignat fructus vitæ æternæ dignos. Tertio, addit ornatum etiam coram hominibus, uti in primis patet in primis Christianis, qui cum gratia Spiritus sancti impleti essent : *Habebant gratiam ad omnem plebem*, ut ait Lucas, Act. II. quasi diceret : Amabiles erant apud omnes. Parit enim gratia divina suis possessoribus gratiam etiam humanam et amabilitatem apud omnes, qui non sunt excæcati malitia et invidia : *Sicut is, qui fert aromata, etsi nolit, ex odore proditur; ita qui gratiam Dei habet, ex verbis suis atque humilitate propria agnoscitur*, ait Climacus, de discretionē, gr. XXVI. Patet idem non modo ex vitis ss. sed etiam quotidiana experientia. Quarto denique, dat eis quasi salvum conductum et auctoritatem ad sui defensionem contra hostes in primis invisibiles, ac sæpe etiam visibiles. Quando Turcarum imperator donat alicui aureum amiculum, suis insignibus notatum, quasi pro salva guardia, ut vocant, qui dono id accepit, si eo inductus in publico appareat, nemo unus e toto exercitu lædere ipsum vel in minimo audeat; quinimo Turcæ milites ex equis etiam desiliunt, et vestem illam deosculantur, hominem vero honorant. Aurea vestis gratiæ divinæ homini collata, terribilis est dæmonibus, adeo ut ne in minimo quidem nocere ei possint, quietiam homines, eos persequantur, Dei vindictam incurunt, etiam in hac vita sæpe. Patuit in Pharaone Abimelec regibus, qui læsere Abrahamum; in Pharaone et aliis, qui Moysen; in Saule, qui Davidem; et in aliis permultis.

III. Nihil ea deliciosius. Siquidem apostolus ad Rom. XIV. appellat eam *regnum Dei* in hac vita, quod aliud non sit nisi *justitia, pax et gaudium in Spiritu sancto*. Ubi Deus est, ibi et regnum ejus : ubi regnum Dei, ibi utique deliciæ et gaudia erunt. Quisquis autem gratiam habet, is et Deum habet : quis ergo eo felicior? « Felix ille, ait Aug. tr. XXV. in Joan. habet aurum in arca, iste Deum in conscientia : compara nunc aurum et Deum, arcam et conscientiam. Ille illud habet, quod perit, et ibi habet, unde perit : iste Deum habet, qui perire non potest, et ibi habet, ubi auferri non potest. » Comparatione hujus boni ac

gaudii, quod habet justus ex gratia et bona conscientia, evanescent omnia mundi gaudia. « Sicut exortus sol, ait S. Ambrosius, I. II offic. et lunæ globum et cætera stellarum abscondit lumina; ita fulgor honestatis, id est, tranquillæ conscientiæ, cætera, quæ putatis bona secundum sæculum clara aut illustria obumbrat. » Bona hujus mundi extorqueri nobis possunt, et extorquentur tandem a morte : at gratiam, et quod eam consequitur, gaudium, nemo nobis extorquere potest, nisi ipsi nos eam expellamus. Unde S. Augustinus, serm. CCV. de temp. ait : « Fur tibi tollit aurum; quis tollit Deum? Quid habet dives, si Deum non habet? Quid non habet pauper, si Deum habet? » Sed habent inquis, justis tribulationes, sunt contempti, derisi, pauperes, male pasti, afflicti : sed hoc sunt quod esse volunt : unde omnia ista convertuntur eis in gaudium. « Quemadmodum apis, inquit S. Macarius senior, hom. XVI. secreto favum conficit in alveo; sic et gratia dilectionem suam secreto in cordibus exercet, et quod amarum est, mutat in dulce: quod autem asperum in planum. » Quo gaudio sibi applaudunt mundi sectatores, quando se gratia principum plurimum valere sciunt? Quanto plausu exposuit Aman amicis suis, quod a rege Assuero super omnes principes exaltatus esset, quodque a regina nemo alius præter ipsum cum rege ad convivium vocatus esset? Esth. V. Qui cum tantus esset, vilissimum obsequium et quidem hosti suo Mardocheo, in equo circumducendo, præstare ob gratiam regis non recusavit. Non ergo millies plus sibi gratulabuntur justis, quod sint in gratia Dei? Num gravate ferent aliquas molestias propter ipsum sustinendas? Nonne potius eas mutabunt in delicias?

Ad hæc gratia justis affert pacem conscientiæ, quæ est juge convivium, et superat omnes delicias. Quantum hoc sit bonum, non intelligit, nisi qui calamitates, quas animi perturbationes causare solent, expertus est : sicut bonum pacis parum apprehendimus, nisi miseria belli prius experiamur. Quot turbines in bello, tot miseriæ in homine gratia destituto. Scriptura sancta, quando pacis delicias describere vult, solet dicere : *Sedebat, vel habitabat unusquisque sub vite sua et sub ficu sua*, uti III. Reg. IV. Mich. IV. Amos IX. ut indicet eo, pacem simul et umbram habuisse in præsentia, et spem dulcissimi fructus in futuro. Jam vero qui in gratia Dei est, ille verissime habitat et quiescit sub vite et ficu sua : quia in præsentia vita fruitur magna pace conscientiæ, et sub Dei præsidio habitat : in futura autem expectat dulcissimum fructum nectaris dulcedinis cælestis.

IV. Accedit ad hoc triplex bonum, quod nihil homini magis sit necessarium, quam Dei gratia. Satis id exponit apostolus I. Cor XIII. *Si linguis hominum loquar et angelorum, etc. et si habuerim prophetiam et noverim mysteria omnia et omnem scientiam, etc. et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, et si tradidero corpus meum, ita ut ardeam; charitatem autem* (quæ est eadem cum gratia) *non habuero, nihil mihi prodest*. S. Gregorius Nazianzenus, orat. de seipso, ait : « Sine Dei gratia sumus viva cadavera. » Macarius, hom. XLIV. eandem gratiæ necessitatem sic explicat : « Quemadmodum per se nemo potest trajicere nec transire mare, nisi levem et tenuem naviculam e ligno constructam habeat, quæ sola potest super aquas incedere; quia demergitur et interit quis, si ambulet in mari : itidem nequit anima per se transgredi, superare, aut transmittere acerbum mare peccati, et difficilem abyssum improborum spirituum caligine affectionum, nisi susceperit subtilem, cælestem et volatilem Christi spiritum, ambulantem et incedentem super omnem nequitiam. » Scimus Samsonem, quamdiu auream Nazarei cæsariem habuit, fortem contra hostes suos et invictum fuisse; at ubi ea detonsa fuit, vires perdidisse, et in hostium manus traditum fuisse, Judic. XVI. D. Paulinus, in epist. IV. ad Severum, agnoscit in capillis gratiam Dei, qua conservata, invicti; perdito vero imbelles sumus. *Ita nobis, inquit, violata Christi gratia, ut illi incisa coma, hostis illudet, auferet oculos, mittet in carcere, et vertentis molis velut asinos deputabit*. Miramur jure merito et quasi indignamur, quando audimus heroem illum fortissimum, Samsonem, blanditiis mulieris adeo dementatum esse, ut arcanum suum ei detegeret, et in sinu ejus dormiens, sacram suam cæsariem, e qua omne robur habuit, ei detondendam daret. Interim tamen non indignantur sibi nostrum quam plurimi, qui hoc idem agunt; imo, quod dementius, cælestem gratiæ decorem, e quo omnes suas vires, splendorem et fortunam habent, tam facile deperdunt. Una muliercula, una ebrietas, una vindictæ furia gratiæ capillum tondet, et tradit eos tartareis hostibus. Quis non fremat in hos homines? Infranem illum Esau immanis stultitiæ accusamus, quod pro vilissimo lentis edulio primogenituræ suæ jus vendiderit : at quanto major stultitia est, vendere Dei gratiam bonum pretiosius toto mundo, pro vilissima voluptate? Quid non molliuntur homines, ut principum gratiam acquirant? Quid non, ut eam conservent? Et quam ea infirma, quamque fragilis est! Gratia Dei tantum valet, ut nec pro regniis totius mundi commutari debeat. Videtur id no-

his Scriptura per apologum illum insinuare, quem proposuit Joatham, Judic. IX. dicens, ivisse ligna, seu arbores, ut eligerent sibi regem, et venisse a tres arbores in primis, ad olivam, ficum et vitem. Quæ omnes recusarunt regiam dignitatem. Oliva dixit: *Numquid possumus deserere pinguedinem meam?* Ficus: *Numquid ego dulcedinem meam fructusque suavissimos?* Vitis: *Numquid ego vinum meum, quod lætificat Deum et homines, et inter ligna cætera promoveri?* Denique, rhamnus solus, lignum omnium vilissimum, suscepit in se imperium. Quid arbores illæ tres, humano generi salutares, significant, nisi animas justas? Et quid vepri, nisi animam vilem, Dei gratia destitutam? Justi ex divina gratia, quam possident, habent pinguedinem Spiritus sancti et pacem cordis, quam designat oliva: habent dulcedinem justitiæ, et qua velut esca dulcissima seipsos consolantur, et pascunt spe æternæ illius et supernæ dulcedinis, quam indicat ficus: habent gaudium Spiritus sancti quo omnes tristitias pellunt et adversa mitigant, designatum per vitem, quæ vino suo lætificat Deum et homines. Hæc igitur bona sua, quæ beneficio gratiæ habent, considerantes, respuunt regna et imperia, nullo modo gratiam Dei cum illis commutaturi. Soli rhamni, solæ viles animæ, quæ Dei gratiam nec habent, nec agnoscunt, ea posthabita, regna et terrena bona quærunt. Absit hoc a nobis, quin potius dicamus cum arboribus illis bonis: Non possum, non possum deserere pinguedinem, dulcedinem et lætitiā meam, quam possideo in anima mea. Vocentur alii Zachariæ, vocentur Alexandri Magni, vocentur reges, vocentur nobiles, divites, sapientes, potentes: Joannes sit nomen nostrum.

CONCIO II.

PERICULOSUS MUNDANORUM STATUS ARGUITUR A JOANNE.

I. Quia non credit satis esse, quod in senecta servire velimus Deo. — II. Non credit inter pravos socios posse quem inculpate vivere. — III. Non credit in superbo vestitu latere humilitatem. — IV. Non credit inter immodicas opes posse Deo servire. — V. Non credit in femininarum commercio servari castitatem. — VI. Non credit inter delicias sobrietatem servari.

THEMA.

Mirati sunt universi. Luc. I.

Mirati sunt vicini S. Zachariæ, quod cum prius mutus fuisset, postea loqueretur, cum filio nato

nomen daret. Ego e contrario miror Joannem, quod cum ipse in vita vox clamantis in deserto fuisset, Christum prædicans et demonstrans, nunc post mortem in Ecclesia taceat; siquidem in missa sua non profitetur fidem, cum non habeat *Credo*. Habent *Credo* apostoli, habent ss. angeli, habent et doctores. Joannes fuit missus a Deo, adeoque apostolus: fuit etiam angelus, Christi testimonio: fuit et doctor synagogæ: cur ergo non habet *Credo*? Audite, auditores: Joannes evangelium sua vita et verbo docuit, quod mundi evangelio e diametro est contrarium: cui proinde Joannes semper contradicit, nec adduci potest, ut id credat, uti tunc videbimus.

I. Mundi sectatores putant juventutem et virilem ætatem mundo consecrandam, nec opus esse a teneris assuescere virtuti, sufficere senectutem ab bene et pie vivendum et pœnitentiā agendam, vel etiam mortis articulum. Quid tu ad hoc, Joannes? Non credo, inquit. Clamat autem hoc non tam verbo quam facto; siquidem ab infantia Deo servire cœpit in deserto, sciens quam difficile quis servitium hoc inchoaret in adulta ætate, qui non cœpisset in tenera. Consentit Joanni alter propheta. Jeremias scilicet, c. XIII. admodum diffidenter de tali mutatione loquens: *Si potest Æthiops mutare pellem suam, aut pardus varietates suas; et vos poteritis bene facere cum didiceritis malum.* Æthiops et pardus ab ineunte ætate contraxit, ille nigrorem, hic maculas, retinentque semper. Unde Diogenes senem malum castigans, rogatus quid ageret: *Æthiopem lavo*, inquit. Ratio est, quia quibus assuescimus, illis adhæremus, et difficile inde abstrahimur; difficilius nova addiscimus, cum contrariis assueti fuimus. Davidem interrogemus, quare thorace Saulis ferreo indutus pugnare recusavit cum Goliatho. Num quia ipsi velut puero non quadrabat? Minime; nam tunc jam perfectæ staturæ juvenis erat, alioquin stulte induisset eum Saul armis suis; sed puer tantum appellatur ob bellandi imperitiā. Cur ergo sic pugnare noluit? Causam ipse dixit: *Non possum sic incedere*, inquit, *quia non usum habeo*, I. Reg. XVII. Et quia a pueritia non fuit assuetus armis, fortis; jam et adultus ne incedere quidem potuit in illis. Si hoc David juvenis præstare non potuit quod non didicit puer, quomodo in senio potuisset? E contra cur tam dextre primo fundæ lapide frontem hostiæ tetigit? Quia nimirum a pueritia pastorculus jaculatoriam fundam tractavit, qua errantes oves ad gregem revocaret. Dicat mihi jam juvenculus: Quomodo in senio et fine vitæ tractabit rosaria, jejunia, cilicia, confessionem et communionem

IN FESTO S. JOANNIS BAPTISTÆ.

frequentem etc. quæ non didicit puer? Pocula potius et cantharos, nummos et plumas, excretaiones et turpia verba, quibus assuevit, cogitabit et tractabit. Anno 1344. oblatu est Henrico Hassiæ Landgravi puer captus in silva, qui expositus, enutritusque a lupa, quadrupes incedere, et cum lupis currere didicit, idque adeo assuevit, ut vix magno labore rectus incedere valeret, Maiol. tot. I. canic. coll. VII. ex appendice Schafn. Quomodo ergo in senio vel morte erigent cor ad Deum, qui proni semper incedere visi sunt ut pecora? Quomodo orabunt cum religiosis, qui nil aliud didicerunt, quam ululare cum lupi?

II. Putant inter pravos socios et loca periculosa posse se incontaminatos persistere, sicut Jobum in terra Huss, Tobiam in captivitate, Danielem in lacu leonum, etc. Sed quid ad hoc, Joannes? Non credo, ait, non credo; siquidem ipse mundo improbo valedicens, toto fere vitæ tempore vixit in deserto, Luc. I. Causam Ecclesia canit: *Civium turmas fugiens petisti, ne levi posses maculare vitam, crimine linguæ.* Vidit enim Joannes, a Spiritu sancto adhuc puerulus edoctus, difficillimum ac ferme impossibile esse in pravorum hominum, quorum tunc mundus plenus erat, conversatione bonum esse. Noverat scriptum Ecclesiastici XIII. *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea, et qui communicaverit superbo, induet superbiam.* Mirantur forsitan aliqui non immerito, Joannem puerulum in deserto a bestiis devoratum non esse: sed Cedrenus et Nicephorus scribunt eum ab angelo non difficile custoditum fuisse. Multo magis mirum fuisset, si inter homines in mundo degens, depravatus non fuisset. Hinc enim quasi prodigia mundi celebrantur Job, Loth, Tobias, Noe, quod inter malos boni fuerint. Intellexit etiam hoc Aristippus philosophus; qui interrogatus quid in vita admirandum esset, respondit: *Vir bonus inter improbos*, Stob. ser. XXXV. Qua ratione etiam Moyses prodigium fuisse dixit, quod filii Core in domo rebellis et improbi patris aliorumque domesticorum soli bonifuerint, et cæterorum seditioni se non miscuerint, unde etiam grandi miraculo, cæteris terra dehiscente absorptis, cum inter illos essent, ipsi penduli in ea re hæserint, adeoque non perierint: *Factum est grande miraculum*, inquit, *ut Core perirent, filii ejus non perirent*, Num. XXVI. Habuit etiam sanctus quidam eremita in Scythia pro miraculo, quod audivit a quodam juniore et temerario eremicola, in prato spirit. c. CXCIV. Hunc enim cum vidisset Alexandriæ ingredi cauponam, expectavit egredientem, et seorsum monuit: *An nescis, domine frater, quia habitum angeli-*

cum fers? Ignoras quia juvenis es? Nescis quia et per oculos, et per aures, et per figuras varias monachi in civitatibus læduntur, etc.?

Cui ille: « Perge senior; Deus non quærit nisi cor mundum. » Tunc expandens in cælum ambas manus senex ait: « Gloria tibi Deus. Ecce enim ego habeo in Scythia annos jam quinquaginta quinque, et mundum cor non habeo: hic autem in tabernis conversans, cordis munditiam possidet. » Voluit dicere: Non credo, non credo.

III. Putant se in splendido et superbo ornatu humilitatem et castitatem non difficile servaturos. At quid Joannes? Non credo, non credo. Idcirco enim mollem vestitum fugiens, non qualicumque tenui veste, sed pilis camelorum se operuit, asperis et hirsutis, ut sic a vestitu molli et nitido quam longissime discederet, velut e diaboli laqueo. Est enim mollis ille et splendidus ornatus laqueus tam ipsi qui gerit, quam aliis qui vident. Ipsi, quia vix contingere potest, ut quis in tali ornatu, velut pavo in suo flabello, sibi ipsi vane non placeat, adeoque non insolescat. Quemadmodum Alexandri M. equus nudatus quemlibet sessorem recipiebat, regis vero ornatus phaleris neminem, nisi Alexandrum regem admittebat, in reliquos omnes ferociebat, teste Plinio, l. VIII. c. XLVIII. ita qui splendore vestitum nitent, videri volunt et suscipi; pannosos vero spernunt. Vidit hoc sanctus quidam juvenis, Athanasius nomine, qui cum religiosum habitum induisset, retractus vero a patre, sericis vestibus oneratus potius quam ornatus fuisset, eas in frustra dilaceravit. Novis rursus indutus, rursum eas scidit; donec a patre victoriam desperante dimissus, habitum religiosum repeteret, in vita S. Nicetæ, 3. apr. Sur. Aliis vero laqueus est, quia pronos ad lasciviam facile ad se trahit et illaqueat, imo etiam castis animis cogitationes malas ingenerat. Celebre dictum Augusti Cæsaris est apud Sueton. *Vestitus insignis ac mollis superbæ vexillum est, nidusque luxuriæ.* Ad vexillum convolant milites; ad vestitum mollem lascivi adolescentes et puellæ. In nidum suum ciconiæ inferunt, ranas, bufones, serpentes: homo superbo cultu infert et trahit ad sui amorem fœdum oculos et corda onscenorum.

IV. Confidunt se nullo suo periculo posse inter acervos divitiarum servire Deo et cælum ingredi. Quid tu ad hoc, Joannes? Non credo, ait, non credo. Propterea enim e nobili parentum domicilio profugit ad eremum; ubi in summa rerum omnium penuria ad triginta fere annos vixit sub dio et in spelunca, quia nimirum vidit perdifficile esse divitias habere et non amare, indeque non extolli. Consentit Ecclesiasticus, c. XXXI. dicens:

V. PARS FESTIVALIS.